Jacobus de Voragine: Legenda aurea sanctorum, sive Lombardica historia
[Cologne]: Conrad Winters, de Homborch, 8 Nov. 1476, 1476


De S Ignatio martyre 6o

hyeme vero vt deliberetur flegma
ebetudinis ⁊ pigricie. Nam fleg
maticus naturaliter est ebes ⁊ pi
ger. ¶ Sexta racio est quoniã ver
comparatur aeri. estas igni autũ
nus terre hyems aque. Jeiuna
mꝰ igitur in vere vt in nobis edo
metur aer elacionis ⁊ superbie.
In estate vt edometur ignis cupi
ditatis ⁊ auaricie In autumno vt
edometur terra spiritualis frigidi
tatis ⁊ tenebrose ignorãtie In hy
eme vt edometur aqua leuitatis
⁊ inconstãtie ¶ Septima racio est
quoniam ver refertur ad puerici
am. estas ad adolescentiam: autũ
nus ad maturitatem siue virilem
etatem. hyems ad senectutem Je
iunamus igitur in vere: vt simus
pueri per innocentiam. In estate
vt efficiamur iuuenes per constã
tiam In autumno vt efficiamur
matuꝛi per modestiam: In hyeme
vt efficiamur senes per prudenti
am ⁊ honestam vitam Vel potiꝰ
vt satisfaciamus quicquid per il
las quatuor etates offendimus
¶ Octaua racio est magistri Guil
helmi altissidoreñ. Ideo enim ĩ qua
tuor anni temporibus ieiunamus
vt que ĩ illis quatuor temporibꝰ
anni deliquimus emendemus. Et
fiũt per tres dies vt satisfaciamꝰ
in die qđ deliquimus in mense Et
fiunt in feria quarta quia tunc do
minus a iuda traditꝰ fuit In sex
ta: quia in ea crucifixus fuit Sab
bato quia tunc in sepulchro iacuit.
¶ De Nomine.:.

IGnatius quasi ignẽm patiens.
id est patiens ignem diuini amo
ris. ¶ De sãcto Ignatio.

IGnatius fuit discipulus beati Jo
hannis ⁊ episcopus antiochenꝰ
Hic epistolam ad beatam virgi
nem direxisse dicitur in hec verba
Christifere marie. seruus suus Ig
natius Me neophitũ Johannis
quem tui discipulum confortare ⁊ con
solari debueras. De hiesu enĩ tuo
percepi mira dicta ⁊ stupefactus
sum ex auditu A te autem que sẽ
per fuisti ei familiariter coniũcta
⁊ secretorum eius conscia desidero
ex animo fieri certior ex auditis.
Valeas ⁊ neophiti qui mecũ sũt
ex te ⁊ per te ⁊ in te confortetur.:.
Beata autẽ virgo dei genitrix ma
ria ĩ hec verba ei respondit Igna
tio dilecto cum discipulis humil
⁊ ancilla hiesu christi De hiesu q̃
a Johanne audisti ⁊ didicisti ve
ra sunt illa credas illis inhereas.
⁊ christianitatis votum firmiter
teneas. ⁊ mores ⁊ vitam voto cõ
formes Veniam autem vna cum
Johanne ad te. ⁊ qui tecum sunt
conuisere. Sta ⁊ viriliter age in fi
de. nec te commoueat persecucio
nis austeritas: sed valeat ⁊ exul
tet spiritus tuus in deo salutari.
Tante auctoritatis beatus Igna
tius extitit: quod etiam Dyonisius
pauli apostoli discipulus qui fu
it in philosophia tã summus ⁊ ĩ
diuina scientia tam perfectꝰ vt ver
bum beati Ignatij ad confirmaci
onem dictorum suoruz tanquam pro
auctoritate adduxerit Cum enim

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-147/0129
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG